

Ad
Clarissimum Dn. Respondentem meum.



Um haectenus industriam tuam & attentionem in audiendis doctorum acroasibus indefessam posueris, neque intermiseris quicquam, quod à serio severoque sacrorum cultore requiri poterat, nunc quoque studiorum ordini & Academiae legibus obsequium praestiturus ad publicam cathedram provolas, Doctissime RÜMCKERE, ipso in omnium conspectu ore Tuo demonstraturus, & audita Te rectè intellexisse & reposuisse omnia memori mente & tueri veritatem Te posse adversus quoscunque, qui eandem aggressi fuerint & oppugnaverint. Non ignotus mihi est ingenii Tui vigor & eloqvendi promptitudo, quâ auditorii Tibi applausum conciliabis, roborabisque spem illam, quam necessarii de Te Tui ex eo statim tempore, quo Te scholis reddiderunt, addixeruntque DEI aliquando in Ecclesiâ servitio, conceperunt. Quid itaque aliud ad precari Tibi conveniet, quam ut DEUS, quem ex toto animo Tuo colis, quique prora puppisque ut conatum Tuorum omnium, ita cum primis studiorum, ad illustrandam Divini nominis gloriam directorum, esse debet, illud pondus & robur Tuis in pietatis doctrinâ progressibus addere velit, quod & DEO sit gloriosum & Ecclesiæ olim suæ salutare? Id ut eveniat & Parentes adeò Tui summam ex Te delectationem, patria verò universa fructum, ad posteritatem nostram dimanaturum, capiat, ex toto pectore DEUM oro rogoque. Scr. XXIII. Septembr. MDCCV.

JO. FECHT. D.
Disputationis PRÆSES,
Dic,